

da. Examinemus corporalem substantiam domini: de spiritali enim certum est. Caro quaeritur, ueritas & qualitas eius retractantur, an fuerit, & unde, & cuiusmodi fuerit. Renunciatio eius dabit legem nostrae resurrectioni. Marcion ut carnem Christi negaret, negauit etiam natiuitatem: aut ut natiuitatem negaret, negauit & carnem: scilicet ne inuicem sibi testimoniū redderent. Responderēt natiuitas & caro, quia nec natiuitas sine carne, nec caro sine natiuitate: quasi non eadē licentia haeretica & ipse potuisset, aut admissa carne natiuitatem negare, ut Apelles discipulus, & postea desertor ipsius, Aut & carnem & natiuitatem cōfessus, aliter illis interpretari, ut condiscipulus & cōdesertor eius Valentinus. Sed & qui carnē Christi putatiuā introduxit, aequē potuit natiuitatis quoq; phātasmata cōfingere, ut & conceptus, & pregnatus, & partus uirginis, & ipsius exinde infantis ordo totum haberetur: eosdē oculos, eosdemq; sensus fefellissent, quos carnis opinio inludit. Planē natiuitas à Gabriele adnunciatur. Quid illi cū angelo creatoris odit moras, qui subito CHRISTVM de caelis deferbat\*, auferas hinc (inquit) molestos semper Caesaris census, & diuersoria angusta, & sordidos pannos, & dura praesepia. Viderit angelica multitudo dñm suū noctibus honorans. Seruent potius pecora pastores: & magi ne fatigentur de lōgino, dono illis aurum suū. Melior sit & Herodes, ne Hieremias gloriatur: Sed nec circūcidatur infans, ne doleat: nec ad templū deferatur, ne parentes suos oneret sumptu obligationis: nec in manus tradatur Simeoni, ne senē moriturum exinde constet. Taceat & anus illa, ne fascinet puerum. His opinor consilijs tot originalia instrumenta CHRISTI, delere Marcion ausus est, ne caro eius probaretur. Ex qua oro te autoritate: si ppheta es, praenūcia aliquid: si Apostolus, praedica publice: si apostolicus, cum apostolis senti: si tantum Christianus es, crede quod traditum est: si nihil istorū es, merito dixerim morere: nam & mortuus es, qui non es Christianus, non credendo quod traditum Christianos facit. Et eo magis mortuus es, qui non es Christianus. Qui cum fuisses, excidisti, rescindendo quod retro credidisti. Sicut & ipse confiteris in quadam epistola: & tui non negant, & nostri probant. Igitur rescindens quod credidisti, iam non credens rescidisti: non tamen quia credere desisti, recte rescidisti. Atqui rescindendo quod credidisti, pbas ante, quā rescinderes aliter fuisse quod credidisti, aliter illud ita erat traditum. Porrò quod traditum erat, id erat uerum ut ab eis traditū, quorum fuit tradere. Ergo quod erat traditum rescindens, quod erat uerū rescidisti. Nullo iure fecisti: sed plenius eiusmodi praescriptiōibus aduersus omnes haereses, alibi iam usi sumus. Post quas nunc ex abundanti retractamus, desiderantes rationem qua non putaueris natum esse Christum. Necesse est quatenus hoc putas arbitrio tuo licuisse: ut aut impossibilem, aut incōuenientem deo existimaueris natiuitatē. Sed deo nihil impossibile, nisi quod non uult. An ergo uoluerit nasci: quia si uoluit, & natus est, consideremus.

als \* auferas.

Argumentum

Epistola Marcionis

Ex propriis conuictis  
uerbis

Librū de praescripti  
one haereticorū an  
te hūc librū scripsit